

CAPUT QUARTUM.

De corporum inertia.

65 Inertiam materiae seu corporis illam ineptitudinem voco ad motum ex se concipiendum, ut nisi ab agente externo agatur, æternum in statu quietis permaneat.

66 Corol. Inertia materiae aliud prorsus est à vi inertiae. Illa attributum est negativum, quod in corpore omnimodam incapacitatem ad se movendum, aut actionem aliquam ultrò ex intrinseca sua natura concipiendum indicat: altera est quædam accidentalis proprietas mox exponenda, ab ipsa inertiae proprietate derivans, qua statum, in quo semel posita est, materia conservare nititur; ex quo resistentia oritur contra omne id, quod statum, in quo est, immutare tentat, quæ nisi vincatur, in diversum agi non potest.

67 Positio. "Similius vero est, inertiam omnimodam, sive actionis exigendæ incapacitatem, omnem materiam creatam afficere, quin aliud concipi possit attributum, quod materiae naturam aptius exhibeat." Prob. A corporum omnium perpetua inductione novimus, nulli non inertiam convenire, nec alia nota magis spiritus exhibet ideam, quam illa sit aptitudinis ad actionem ex se concipiendam: omnibus igitur corporibus inertia convenit, ac præcipua nota est, qua corpus ab spiritu secernatur. Et quidem si aliud unquam firmum ab

analogia ductum est argumentum, quo ex his quæ novimus, ad ea, quæ à sensibus nostris remota sunt, inferre possimus, robustius nullum apparet, quam præsens, in quo discrimen omne inter corpus ac spiritum innititur. Lockium non moror, qui impotentiam cogitandi à materia removens, aut saltem demonstratam non esse asserens, metaphysicam omnem subvertit. Vide dicta Dissert. 3, c. 9. Metaph.

68 Oppones. Si materia nullius actionis origo et causa est, omnis subvertitur causarum notio; hoc autem experientia falsum convincitur: ergo et omnimoda inertia materiae. *R. dist. maj.* Si nullius actionis origo est ex intrinseca activitate provenientis, *neg. maj.* si nullius actionis origo et causa est juxta leges à supremo Conditoris impositas, *conc. maj.* Quomodo intelligi debeat causarum influxus, exposuimus Metaph. art. 165, neque est, quod hic diutiùs in hoc argumento immoremur, quod ibi abundè tractatum arbitror. Porrò quæcumque phænomena à causis educuntur, à naturæ legibus materiae liberrimè dictatis provenire, mox ostendemus, è quibus motus omnis in natura corporea derivatur.

69 Oppon. 2. In fermentationibus, combustionibus, rarefactionibus, condensatione ex intestino motu materiam percieri videmus à nullo externo agente in motu positam: ergo se ipsam ultrò movet, ac proinde iners non est. *R. dist. ant.* percieri ex intrinseca capacitate se, et alia corpora movendi, *neg. ant.* legibus Conditoris obedientem, et ut ajunt, me-

rè passivè se habentem, *conc. ant.* Quicumque motus in natura animadvertitur corporea, ab aliqua causa sive cum ratione sufficiente existit: materia autem se nec ad motum concitare, nec ipsum sistere potest. Hoc enim, ut perspicuum est, et voluntate provenire debet, quam nec Lockius, nec alius, qui ineptus haberi nolit, materia concedet. Quis enim unquam determinationem nisi à voluntate provenire concipiat? Quicumque igitur materia status supponatur, ab alio à materia distincto proveniat, necesse est.

Atque hic probè animadvertendum est, vulgare illud axioma: *Ad Deum in philosophia confugiendum non esse*, in iis tantum valere, quæ per proximas causas physicas explicanda sunt: ex. gr. quum exponere velim, qua ratione quatuor libræ cum una in lance æquibrentur; si asseram Deum ita statuisse, insipienter dixerò: at rectè quæstionem solvam dicens, hoc ideo esse, quia distantia minoris ponderis ab hypomochlio quater major est, quam distantia majoris. Non ita se res habet in primis causarum principiis. Tunc ad Deum non confugere, insipientis est. Nam aut Deus non est, aut non nisi in Deo prima principia sunt. Ipse est, qui planetis vim indidit, qua ab occasu in ortum feruntur. Ipse est, qui illos, et solem in axe rotat. Omnibus corporibus legem indidit, qua ad suum centrum tendunt. Tandem animalia condidit, quibus vim activam tribuit, qua motum pariunt, ajebat in *Miscellaneis philosophicis* quidam auctor minimè suspectus de nimio recurso ad Deum.

DISSERTATIO II.

DE MOTU CORPORUM.

CAPUT PRIMUM.

De natura motus, ejusque differentia.

70 Notionem metaphysicam motus jam tradidimus art. 185. Metaph. breviter hic recolendam, ut ad manus habeantur inibi dicta, et ea, quæ dicenda sunt, clariùs percipiantur. Motus est *translatio corporis de loco ad locum*, sive existentiæ successiva corporis in diversis spatii partibus. Hujusmodi notio adeo omnibus perspicua est, ut eam explicare, obscurare sit.

71 In motu quinque sunt consideranda, è quibus motus differentia proficiscuntur. Corpus videlicet, quod movetur, sive *quantitas* materia in motu positæ, è cujus elementorum numero motus quantitas deducitur; quippe per omnia æquè distribuitur; *directio*, sive linea quam motu suo describit mobile; *celeritas*, quæ et velocitas etiam audit, qua corpus agitur; *spatium*, quod conficit, dum lineam directionis sectatur; è cujus longitudine spatii quantitas definitur, ac tempus, quo spatium conficitur. Ex his quinque fontibus omnium motuum diversitas est repetenda, ut singillatim motus divisiones exponendo perspicuum fiet.